

dictus, ut tabulam superius allegatam componeret pro apostolicorum humerorum liberatione ab onere superius memorato. Que quidem tabula ab universis recepta erat et usque in presens semper practicata.

[§9] Computus vero cyrometralis^d et similiter Nurenbergensis novi sunt valde et moderni, qui, si prius ab eorum ortu usque in presens^e ab illa Dyonisii tabula non sunt visi deviare, deviassent tamen, si fuissent huic tabule ab eius exortu usque modo contemporanee, adminus per binas vices, anno scilicet domini nongentesimo duodecimo et similiter anno tricentesimo octogesimo^f. Quid igitur mirum, si quantum ad presentem annum ab ea deviare videntur? Quis igitur non videat, que auctoritas cui auctoritati et, per consequens, que pars cui parti cedere debeat? Qui, rogo, et quante auctoritatis^g fuere figuli illi dictorum computorum fabricatores^h, cyrometralem, dico, et Nurenbergensem. Nonne unus ex eis scholarum rector in Nurenbergenseⁱ opido puerorum informator extiterat, cuius scripta nulla famosa ecclesia, nisi fortasse oppidam [!] Nurenbergensis^j reperitur autenticasse? Hunc vero (non tam meum quam universalis ecclesie) Dyonisium et^k ipsa eius mater universalis ecclesia non tam verbo, quam diuturna sua practica fecit auctorem.

[§10] Unde concludo vestreque paternitatis reverentie consultationi audacter respondeo, dicte matris nostre universalis, scilicet ecclesie, auctoritate roboratus, quod huius anni presentis, scilicet millesimi quadringentesimi quadragesimi quarti^l luna prima primi mensis, qui est pascalis et Hebraice Nisan dicitur, est dies vigesima tertia mensis Martii, quia in kalendario ecclesie^m ponitur ibidem unitas, que est illius anni aureus numerus; quartadecimaⁿ vero illius mensis luna est quinta dies^o mensis Apprilis, post quam dominica immediate sequens iuxta predictorum conciliorum decreta erit dies sollemnitatis pascalis; que quidem dominica est eiusdem mensis Aprilis dies duodecima, que erit luna XXIP primi mensis. Cum autem septuagesime festivitas semper antecedit dominicam pascalem novem ebdomadibus dierum, necesse est, ut nona die Februarii septuagesima locum accipiat, que est dominica proxima post festum purificationis sepedictum. Item anno domini nongentesimo duodecimo^q erat unum aureus numerus et erat annus ille

d) cyrometralis - Nurenbergensis] Nurenbergensis et Cirometralis similiter *ML*.

e) usque in presens] *om. ML*.

f) 380 *Mg*.

g) et - auctoritatis] *om. Mb*.

h) Qui - fabricatores] Qui rogo fuere figuli illi dictorum compotorum fabricatores aut quante autoritatis *Mg*.

i) Nurnbergis *Mg*, Nirenbergense *ML*.

j) Nurn-

burgam? *Ma*, Nurnbergis *Mg*.

k) *om. Mb*.

l) 1444^u *MgML*.

m) *om.*

ML. n) 14a *Mg*.

o) die *ML*.

p) 21 *Mg*.

q) 912 *Mg*.